

Dissertatio medica inauguralis : de arthrodynia. Quam, annuente summo numine, Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri, D. Gulielmi Robertson, S. T. P. Academiae Edinburgenae Praefecti; nec non Amplissimi Senatus Academici consensu, Et nobilissimae Facultatis Medicae decreto, pro gradu doctoris, summisque in medicina honoribus ac privilegiis rite et legitime consequendis / eruditorum examini subjicit Robertus Donaldson Jackson, Hibernus. Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

Contributors

Jackson, Robert Donald.

Jackson, Hugh (Former owner)

Bywaters, E. G. L. (Eric George Lapthorne), 1910-2003 (Donor)
Royal College of Physicians of London

Publication/Creation

Edinburgi : Apud Balfour et Smellie, Academiae Typographos, 1791.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/azss6k7c>

Provider

Royal College of Physicians

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by Royal College of Physicians, London. The original may be consulted at Royal College of Physicians, London. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.


You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>



SL/27-3-C-17
52390h




Robertson £50


44701

£ 1/10/-


Hugh Jackson wth sincerest wishes
for his long life & happiness, from
his aff. Son R. D. J.

Hugh Jacksons Book August 2nd 1879





[50



Hugh Jackson Ballywooly June 9. 1841

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ARTHRODYNIA.

THE NEW YORK PUBLIC LIBRARY

DISSEMINATION OF MEDICAL

INFORMATION

OF

ARTHEROLOGY

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
ARTHRODYNIA.

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,
D. GULIELMI ROBERTSON, S. T. P.
ACADEMIÆ EDINBURGENÆ Praefecti;

NEC NON
Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,
Et nobilissimae FACULTATIS MEDICÆ decreto,
PRO GRADU DOCTORIS,
CUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subijcit
ROBERTUS DONALDSON JACKSON,
HIBERNUS.

Toil and be strong. By toil the flaccid nerves
Grow firm, and gain a more compacted tone;
————— a frame so steel'd
Dreads not the cough, nor those ungenial blasts,
That breathe the tertian or fell rheumatism.

ARMSTRONG.

Ad diem 12. Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:
Apud BALFOUR et SMELLIE,
Academiae Typographos.

M,DCC,XCI.

DISSENTING

IN

THE

AND

THE

AND

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

Patri suo dilectissimo,

HUGONI JACKSON,

ARMIGERO,

Apud Ballywoolly, in comitatu Dunensi,

Ob omnia beneficia,

Quae a parente optimo et amantissimo

Potuerint sperari,

In se constanter et generose collata,

Potissimum ob curam vere paternam,

Quam in sese educando anxie posuerit;

Ut testimonium amoris et observantiae perpetuae;

Deinde,

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

THE

Deinde,

Patruo suo,

ROBERTO DONALDSON NICHOLSON,

A R M I G E R O,

Apud Ballymagee,

Viro integerrimo honestissimoque,

Patriae libertatis strenuo defensori;

Propter consilia utilissima,

Quae ab eo acceperit,

Et propter virtutes, quibus praeditus est,

Numerosas et intemeratas;

Hanc Dissertationem Medicam Inauguralem

Sacram esse voluit

A U C T O R.

Printed

Printed for

ROBERTO DONALDSON NICHOLSON

AMSTERDAM

April 1850

Printed by J. J. J. J. J.

Printed by J. J. J. J. J.

Printed by J. J. J. J. J.

Printed by J. J. J. J. J.

Printed by J. J. J. J. J.

Printed by J. J. J. J. J.

Printed by J. J. J. J. J.

Printed by J. J. J. J. J.

Printed by J. J. J. J. J.

Printed by J. J. J. J. J.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

ARTHRODYNIA.

QUO omnia hunc morbum spectantia in luce clariore ponamus, definitionem utriusque rheumatismi, acuti nempe et chronici, vel arthrodyniae, trademus, verba Culleniana adhibentes. Rheumatismus autem acutus est, “ Morbus ab externa, et plerumque evidente
“ causa; pyrexia; dolor circa articulos, musculorum tractum sequens, genua et reliquos
“ majores, potius quam pedum vel manuum,
“ articulos infestans, calore externo auctus.”

A

Quantum

Quantum ad arthrodyniam attinet, ea sic definitur: “ Post rheumatismum, nifum violentem, vel subluxationem, dolores artuum vel musculorum, sub motu praefertim aucti, plus minusve fugaces, calore lecti vel alio externo levati; artus debiles, rigidi, facile et faepe sponte frigefcentes; pyrexia nulla, tumor plerumque nullus.”

Lumbago et ischias, quae aliquando morbi acuti, sed multo faepius chronici sunt, plerumque ad hunc morbum pertinent.

Rheumatismus acutus, prout a Culleno definitur, est morbus, qui regiones ad septentrionem vergentes frequenter infestat, quod forsitan frigori aërio jure tribuitur. Ob hanc rationem, attentionem feriam et singularem haud dubie meretur. Prava medendi via aliterve in morbum faepe degenerat, qui quidem non tam frequenter semet ostendit; sed curationem magis incertam

incertam recipit, et non minus doloris aegrotantibus, et molestiae medentibus, quam plerique alii, qui chronici appellantur, faceßere consuevit. Eam rheumatismi speciem significo, quae a Culleno arthrodynia nominatur, quaeque acutum non raro excipit. Hanc praecipue exequi decrevi. Morbus pertinacissimus est, et frequenter medicinae difficillime cedit. Medicus non saepius super eo consulitur, quam forsitan pathologiam ejus magna ex parte ignorat, et curationem certam promittere non audet. Sydenhamius, non sine causa gravi quidem, memoriae prodit, hunc morbum, quanquam plerumque periculo, signis inflammationis depulsis, vacat, ob gravitatem tamen doloris et longum, quod habet, spatium, esse vere formidulosum. Hoc in causa est, cur mihi in votis sit, opiniones auctorum diverforum de eo perpendere, et eas illum in ordinem, qui in dissertationibus medicis vulgo adhibetur, redigere. Me hoc tam accurate, quam volo, perficere posse despero.

Cum

Cum mentio hujus morbi, ante multa secula *, fuerit facta, expectares auctores qui rationis medendi vulgaris inutilitatem confessi sunt, naturam ejus mature et accurate fuisse investigaturos. Res vero longe aliter sese habet. Namque, ad praesens tempus usque, parum de morbo ab auctoribus memoriae fuit traditum, et nulli limites accurati species rheumatismi diversas inter et alios morbos constituti sunt. Rheumatismus acutus et chronicus etiam non rite ante descripti sunt, quam Sydenhamius ortus est, qui quidem errore, sed potissimum in ordinando species, non ex toto vacat. Cum vero minime necessarium esse ducam, stadia diversa, in quae rheumatismus fuit divisus, notare, et nedum nomina varia, quae huic morbo a variis auctoribus indita fuerunt, cum dolores partes singulares invadunt, vel cum a materia acri, ut existimatum fuit, ad certa loca devecta, proficif-

* Vide Plinium seniore et Caelium Aurelianum.

proficiscuntur, percurrere, memet ipsum eo genere, quod chronicum vel non febrile stricte appellari potest, vel eo morbi stadio, cum status irritabilitatis in atonicum mutatus est, circumferibam, vestigiis Caelii Aureliani insistentis, qui modo sequente scribit: “Minime opus est, ut
“ de nominibus contendamus, quae tantum pro
“ diversitate situs variare videntur, sed nihil dis-
“ criminis in curatione morbi designant *.”

Me iudice, nequit dubitari, quin hic morbus multo maturius, quam bene fuit depictus, apparuerit; quanquam rarius forsitan olim, quam in praesentia, invasit, quod mortales, eo tempore, ob causas diversas, morbis acutis magis patebant. Utrum vero necne, cum formam acuti induit, et frequenter invasit, in chronicum, cujus exemplum insigne in Boerhaavio ipso, a Swietenio commemoratum, habemus, converti

* Lib. v. cap. 2. Arthrit. p. 557.

converti magis periclitatus sit ; vel via medendi a quibusdam medicis, sub tempus, quo floruit Sydenhamius, adhibita, qui sanguinem copiosissime * detrahare consueverunt, hoc fecerit, dictu difficile est. Posterius in causa frequenter fuisse non suspicari non possum, quod medici illo tempore existimaverunt, sanguinis detractionem in hoc morbo melius, quam in plerisque inflammationem habentibus, tolerari. Hinc complures sanguinis detractiones liberales, et frequenter reiteratae, magnam systemati debilitatem intulerunt. Ad hoc vero animum medici nuper magis attenderunt. Sydenhamius ipse ab experientia didicit, morbum per purgantia, post sanguinem semel bisve emissum, saepius forsitan reiterata, efficacius depelli, quam cum detractiones ejusdem, sub initium, plurimum fuerunt adhibitae. Pringelius, cum hunc morbum curabat, et crustam inflammatoriam subesse non reperiēbat,

* Opera Pringelii et Riverii.

reperiebat, quae aegrotantes querebantur ficta esse posuit; sed semet hac in re deceptum esse compertus est. Ratio, cur vir clarus aliquē in hunc errorem fuerint inducti, facile intelligitur; quoniam signum sanguinis iterum iterumque extrahendi necessitatis praecipuum constanter fuit crusta coriacea semet ostendens, quae hoc in morbo frequenter notatur, etiam cum non-nihil torporis accessurum est *. Experientia quidem monstravit, eam in morbis saepe apparere, ut in lue venerea, cum systema corporeum actione mercurii fuit irritatum, quanquam non parum debilitatis eodem tempore subest.

Licet minime contenderem, hunc morbum cum aliquo signorum inflammationis gradu nunquam conjungi; et igitur, cum sedem chronici communem occupat, regimen antiphlogisticum nunquam requirere; hanc tamen morbi formam
multo

* Praelectiones Gregorii illustrissimi.

multo rarius semet ostendere, quam vulgo creditur, mihi hinc persuasum habeo, quod morbus sanguinis detractioni, quae frequenter adhibetur, non cedit, sed usu ejus gravior efficitur.

Errores vero hujuscemodi, me iudice, facile cavebuntur, si ad speciem, quam aegrotus praefert, generalem accurate attendetur. Acutum eos, qui vitam actuosam degunt, et valentissimos, invadere; chronicum, contra, debilitatos, qui vitas sedentarias egerunt, et eum exercitationis gradum, qui valetudini commodae omnino necessarius est, nisi eo usque provehatur, ut corpus debilitet, adhibere non potuerunt. Exercitatio pauperculorum quidem saepe nimia est, et praeterea cibo non fatis nutriente victitant; unde debiles evadunt, et igitur in hunc morbum frequenter incidunt, ii praesertim, qui musculos ossis ischii proprios pressurae frequentiori subicere coguntur. Hinc non alienum fore apparet, aliquem nexum inter statum musculorum

rum

rum singularem, qui hoc modo progignatur necesse est, et morbum detegere conari, qui aliquid luminis pathologiae ejus forsitan offunderet.

Cum hic morbus lumbos partesque contiguas, eos artus nempe, qui musculis profunde teguntur, quique in nifibus valentioribus constanter adhibentur, uti Cullenus illustrissimus notat, invadere reperiatur; igitur forsitan non sine ratione concludere licet, morbum, quandocunque haec partes tenet, maxima ex parte esse chronicum, et signorum inflammationis eodem modo tantum participem, quo synochus communis, causis fortuitis conjunctis, ad inflammationem vergere notatur. Acutus vero in hisce artubus, qui musculis levius teguntur, et non tam bene a frigore externo, per substantiam cellulosa defenduntur. Cum auctores complures, et potissimum celeberrimi, qui nuper floruerunt, memoriae prodant, chronicum saepissime acuti esse

B

progeniem;

progeniem; ei, quod asseruerunt, fidem derogare minime conabor. Semet vero, ubi acutus non praecefferat, ostendisse, ut credam, animus non parum inclinatur. Hoc sustinendi causa ad auctoritatem medici, de cuius acumine iudicioque nequit dubitari *, provocare possum. Haud dubie tamen concedendum est, eos, qui aetate florentes affectibus rheumaticis multum fuerunt vexati, chronico, cum ad ultima vitae stadia fuerit perventum, fore opportuniore. Caeterum, hoc in exemplo, inflammationis statim antecedentis sequela esse dici nequit. Nulli sexui hic morbus proprius esse videtur; quanquam nonnulli affirmant, eum in masculinum magis, quam in foemineum saevire †. In alterutro sexu vero raro, si unquam, ante pubertatem, accedere videtur. Qualibet anni tempestate apparere potest, sed saepissime invadit, cum frigus hyemale,

* Gregorii illust. Praelectiones.

† Vide Home et Aritaeum.

hyemale, quod semper ab iis, qui doloribus huiusmodi colluctantur, pessime toleratur, incipit dominari. Mortales hoc modo affecti, mutationem coeli brevi factum iri, saepe pro certo affirmant, et hoc, ob dolores ingravescentes, sibi persuasum habent.

Sive hic morbus a rheumatismo acuto male curato, ab eodem neglecto; sive a spasmis vel subluxationibus violentis a visibus nimis ortis, in quo exemplo solo forsitan morbi inflammationem habentis speciem prae se feret, dum, eodem tempore, regimen antiphlogisticum minime requirit; sive a quacunque alia causa proficiscatur, dolores saepe calore lecti facile intendi reperientur, quod effectibus caloris in utroque morbo communibus contrarium esse novimus. Jure tamen a medicis celeberrimis, quorum observationes pro accuratis haud dubie habendae sunt, asseritur *, aliquid in hoc ipso etiam

* Duncani Praelect. Clin.

etiam exemplo subesse, quod ab inflammatione, saltem actiuosa, magnopere differt; et auctum doloris, in casibus hoc genus, auctui, vel exacerbationi febris, quam calori lecti, rectius tribui posse †.

Cum hic morbus lumbaginis ischiadisve speciem plerumque induere notetur, non alienum esse videretur, hasce duas formas accurate considerare; quoniam vero tam frequenter conjunguntur, et dolores tam facile ab uno ad alterum locum transeunt, non male, me iudice, conveniet eas sub uno eodemque capite generali conjunctim exequi; praesertim, cum, multis in exemplis, a se invicem nullo modo possint distinguui. Hic morbus autem a Culleno, in modum sequentem, breviter accurateque depingitur. “ When there is no degree of pyrexia remaining; when the pained joints are without
“ redness;

† Gregorii Praelect. Prae.

“ redness ; when they are cold and stiff ; when
“ they cannot be made to sweat ; or when, while
“ a free and warm sweat is brought out on the
“ rest of the body, it is only clammy and cold
“ on the pained joints ; or when, especially, the
“ pains of the joints are increased by cold, or
“ relieved by heat applied to them *.”

Partes nonnihil tument et dolent, sed raro tactui dolent. Artus sunt debiles, et sensum molestiae habent, cum moventur, vel mutationes coeli incidunt. Quanquam res non semper ita sese habet. Namque dolores nonnunquam maxime tolerabiles esse dicuntur, dum aegrotus huc illuc ambulat. Membra frequenter rigida sunt, et, inter movendum, sonitus crepitans percipitur †, quem a defectu debitae secretionis synoviae solo proficisci posse Perciyallius notat. Cum morbus in lumbis potissimum sedet, ad os sacrum et

crura

* Cullen's First Lines.

† Duncan's celebris Praxin manuscriptam.

crura aliquando patet, et etiam depingitur, ut nonnunquam decursum ureterum prosequens, et dolores paroxysmum nephriticum nonnihil referentes faciens, quorum mentio ab iis fit, qui hunc morbum primi accurate descripserunt.

“ Est et alia hujus morbi species,” inquit Sydenhamus, “ licet non hujus esse profapia vulgo
“ credatur, quae Lumbago Rheumatica aptiffi-
“ me dicitur: Immanis scilicet, idemque fixus,
“ circa lumborum regionem, ipsumque aliquan-
“ do ad os sacrum se demittens, paroxysmum
“ nephriticum mentitur; nisi quod aeger non
“ vomituriat: Immanis hic dolor, nisi abiga-
“ tur eodem modo, quo prior species, pariter
“ etiam perdurat, pari saevitia excrucians, adeo
“ ut miser nequeat procumbere; sed vel e lecto
“ exiliat, vel super eodem erectus sedeat, cor-
“ pore interim perpetua agitatione nunc versus
“ anteriora, nunc posteriora, inclinato reducto-
“ que.” Quamvis non difficile est hosce duos morbos a se invicem secernere; hae tamen no-

tae singulares non facile intelliguntur, nisi ex hoc, quod psoas magnus et iliacus internus cum musculis primario affectis conjunguntur, per dorsum fursum procurrunt, ejusdemque vertebrae inferuntur, et igitur afficiuntur. Rebus ita se habentibus, dolor in renibus sedere videtur. Dolor quoque per femur ad crus, et etiam ad pedem descendit, et non raro aegrotus eum per totum nervi decursum accurate prosequi potest. Interdum quoque partem femoris anteriorem afficit. Hinc a Cotunnio in anteriorem et posteriorem sciaticam fuit divisus. Morbus aliquando suppuratione finire dicitur; sed hoc, uti credo, raro, si unquam, in vera sciatica vel lumbagine incidit. Ex aliqua causa fortuita vero materia, intra musculos glutaeos, formari potest; sed semet, per effectus puris in situ angustiore collecti solitos, brevi deteget, et cum hoc evenit, non opinari non possum, eam a scrophula potius, quam a rheumatismo, proficisci.

DIAG.

D I A G N O S I S.

In morbo ab omnibus aliis fecernendo non multum, meo iudicio, difficultatis reperietur. Ægerrime autem ab acuto distinguetur. Signa vero sequentia huic propria discrimini multum luminis offundent, febris nempe præsentia, diathesis phlogistica universa, partes laborantes semper rubrae et tumidae. In chronico vero tumor plerumque deest, pars affecta pallet et friget, dolor magis fixus est, et non tam facile, quam in acuto, locum mutat. Casus quidem in suis Rebus Veris Medicis a Doctore Home commemoratur, ubi dolor ab uno femore ad alterum translatus est; qui morbum universum, cum impetu humorum certo, qualis est podagra, referre videtur. Podagra ab hoc morbo frequentibus dignosci potest, quod juncturas minores,

zores, ut digitis manuum pedumque proprias, infestat, in quibus non parum tumoris, cum rubore et pyrexia, oritur, et a pollice magno unius pedis ad eum, qui lateris oppositi est, frequenter migrare notatur. Quinetiam podagra ventriculum et canalem alimentarium afficere magis periclitatur. Insuper, sanguineos et plenos invadit, et saepe a labe haereditaria profluit. Quantum vero rheumatismum spectat, res aliter sese habet; namque a vitio ingenito nunquam oritur. In podagra, aegrotus tactum manus cujlibetve alius rei reformidat et refugit, et morbus ad paralyfin non vergit, ut in rheumatismo incidit. Denique, uti Junckerus in tabula decima nona observat, “rheumatismus sedem habet in partibus musculosis; arthritis vero juncturas partium potissimum occupat.” Dolores venerei et rheumatici hoc plane distingui possunt, quod illi ossa media, quae aëri plurimum objiciuntur, occupant. Morbus, quem exequimur, vix unquam pro nephritide potest

haberi, etiam cum dolor in renibus et ureteribus sedere videtur; quod signa, quae nephritidem plane evidenterque designant, qualia sunt dolor testiculi et retractio, stupor femoris, &c. defunt. Praeterea, aegrotus in paroxysmo nephritico, quam in rheumatismo graviore, semet facilius erigere potest.

PROGNOSIS.

Quanquam morbus medicinae parere saepe pertinaciter recusat, et non raro forsitan ex toto insanabilis est, praesertim cum a contorsionibus similibusque proficiscitur, et crassities molestissima et dolentissima partium, quibus injuria fuit illata, formari periclitatur, quae, in longum temporis spatium, et, quibusdam in casibus, per totum vitae decursum, manet *; aegrotum tamen
raro

* Bell's Surgery, vol. 3.

raro consumit, quanquam doloris diuturnitas et motus exercitationisque defectus morbos et corporis et animi movere possunt. “Vehementior
 “autem dolor nimiam irritationem facit, totum
 “genus nervosum convellit, et pervigilium, delirium, debilitatem, animi defectionem, inducit *.” Æger, ad extremum, cachexia generali, vel aliquo affectu morbo superveniente, extinguitur.

CAUSÆ REMOTÆ.

In his primum commemorandus est rheumatismus ipse acutus, qui hunc morbum sæpe excitat. Hoc autem præstare potest, vel ea debilitate et atonia eum subsequente, quas regimen antiphlogisticum longius protractum facere consuevit; vel actione vasorum adaucta eo usque procedente,

* Conspect. Med. Theoret.

procedente, ut tonum vasorum partis singularis idoneum magna ex parte perdat, quod in quibusdam morbis, ut in phrenitide et nimia ventriculi distensione, incidere notatur. Hinc secretio materiae lubricantis parcior evadere potest, quam, musculos a se invicem defendendi causa, providendam natura curavit. Defectum autem hujus dolorem et rigiditatem partis cujusbet facere posse fingere valeo. Hippocrates quidem memoriae tradit, calorem ischiadem progenerare posse. “ Siquis diutius in sole versetur, et coxendices fuerint calefacti, et humor, qui est in articulis, fuerit resiccatus, quod autem id, quod resiccatur, condensatur ac constringitur, hoc mihi signum est; aeger enim articulos vertere aut movere non potest.” Causis remotis jure annumerari possunt nifus subitanei et violenti, qui fibras musculares distrahunt, tonumque earum adeo perdunt, ut potestas agendi extinguatur, vel contractio et relaxatio cesset. Iisdem accenseri potest

test actio musculorum certorum tam diu continuata, ut summam defatigationem faciat, vel vim nervosam exhauriat defectumque mobilitatis progignat. Morbum quoque movet frigus nimium ad corpus adspirare permissum, praesertim si ei calefacto, sub forma vestimentorum madidorum, admovetur, et certius adhuc effectus suos nocivos edet, si partes quaelibet corporis humo frigidae objiciuntur *. Hoc vi majore agere reperietur, si corpus ante, vel certis appetentiis indulgendo, vel aliter, fuerit violentius excitatum. Hoc modo constrictio diuturna et pertinax vasis sanguiferis infertur, et elater eorum usitatus et flexilitas amittuntur. Non alia ratione exponi debet effectus pressurae in morbo creando.

RATIO

* Vide Doctoris Home Principia.

RATIO SIGNORUM.

Varia signa, quae hoc in morbo semet ostendunt, rite et pro votis exponere in primis difficile est, immo forsitan nullo modo fieri potest. Si vero non errem in ponendo, et omnia quidem, quae in Nosocomio Edinensi notaverim, opinionem suffulcire videntur, pressuram musculis ischiaticis constanter adhibitam, ut in futoribus vestiariis similesque artes, ubi vita sedentaria necessario agitur, exercentibus, vel in iis, qui longa itinera peragunt equitantes, praesertim in mulieribus, ut Aritaeus notat, incidit, pro causa hujusce morbi frequente esse habendam; non parum auxilii, in signis huic morbo propriis exponendis, inde peti valebit. Namque in exemplis, quae modo comprehenderim, non tantum actio musculorum idonea deest, sed naturalis

turalis et debitus sanguinis in iis circuitus praecavetur, et igitur non satis nutriminis iis suppetabitur. Haec autem eosdem effectus, quos frigus aliaeque causae remotae, edere concipere possum; unde nervi eo usque, ut dolor, pressura iis applicata, non amplius oriatur, vitiantur.

Dolor autem hinc originem deducere dici potest. Musculi, elatere suo amisso, rigiditatem et atoniam sibi adipiscuntur, et si, quod Hoffmannus refert, verum est, atoniam nempe spasmus gignere; quin dolore non modico saepe stipetur, nemo ambigere potest. Insuper, vasis, quantum ad spatium attinet, diminutis, et quantitatem sanguinis inusitatam rursus recipientibus, necesse est, ut, praeter consuetudinem, distendantur; et, cum tonum suum amiserint, semet rite contrahere nequibunt. Dolor igitur, uti opinor, adauctus a sanguine viam sibi per vasa collapsa violenter patefaciente oriatur, oportet*.

Eodem

* Gregorii Praelectiones.

Eodem modo caloris, in doloribus nonnunquam intendendis, effectus explicari possunt ; quoniam sanguis, quamvis nulla ex parte rarefactus est, velocitatem adauctam, momentum majus, in parte singulari, sibi adipiscitur. A defectu potestatum animalium, circuitu praeter solitum circumscripto, et diametro vasorum adeo diminuta, ut quantitas sanguinis rubri idonea per ea non amplius possit transmitti, pendent ruboris defectus, vel pallor, frigus, rigiditas. A defectu debitae secretionis plane proficiscitur rigiditas. Hinc quoque disci potest, cur sudor, vasis constrictis et non parum depletis, tam difficile excitetur. Quod motus frigidus et viscidus est, a magna debilitate, vel universa locove propria, pendet.

CAUSA

CAUSA PROXIMA.

Ex iis, quae de historia causisque hujus morbi remotis, et de effectu rheumatismi acuti neglectui habiti, vel diu manentis, supra comprehensa sunt; e collapsu defectuve potestatis nervosae incitationem vehementem et inusitatam semper subsequente, e frigore et pallore partis, e sudoris absentia, e substantia viscida et mucosa semet ostendente, e flacciditate, quae in cadaveribus incidendis notabilis est, et praesertim e via medendi, causam proximam esse debilitatem et atoniam, spasmo omnium musculorum vasorumque partis laborantis adjunctas, clare et evidenter apparet.

RATIO MEDENDI.

Cum hic morbus a constrictione spasmodica, atoniae partis laborantis adjuncta, et forsitan a certo debilitatis universae gradu, quae, me iudice, evidenter subest, ut exempla ab illustri Home * relata plane perspicueque ostendunt, in quibus detractionem sanguinis morbi depellendi adhibuit; sed eam nihil proficere, et dosin salis Glauberiani unam, tantum morbum cum omni sua gravitate priore reduxisse compertus est, pendeat; nihil evidentius esse potest, quam consilia medendi praecipua esse duo sequentia, valetudini nempe totius systematis succurrere, et atoniam tollere, vigoremque parti laboranti restituere.

I. Si

* Medical Facts.

1. Si valetudo generalis diminuatur et labascet, ad aëra, exercitationem, et diaetam idonea decurratur.

2. Quo atonia tollatur, vigorque parti laboranti restituatur, ad remedia sequentia interna, quae plurimum auxilii promittunt, confugiendum est: *Gummi nempe guaicum, oleum terebinthinae, corticem Peruvianum, mercurium.*

Medicamentis, in auxilium atoniae promptissimis, primum annumerari possunt oleum terebinthinae et guaicum. Potentia et universa stimulantia sunt, quorum efficacia ab eodem principio generali pendet, oleo volatili nempe, quod, Culleno teste, saltem quantum guaicum spectat, in resina ejus potissimum residet, quodque, ut inquit, omnia balsama et terebinthinas natura sua refert; et, ob hanc rationem, in morem stimuli, qui longissime latissimeque diffunditur, agere dici potest, vasa extrema ubique afficiens.

afficiens. Hinc utilitas ejus in rheumatismo chronico pendet, ut vir clarus existimavit. Cum tinctura volatilis ab omnibus medicis, qui hocce medicamentum plurimi faciunt, praeparatum longe efficacissimum esse putetur, quin reliquis debeat anteferri, ambigere non audeo. Spiritus, si caute administretur, non tantum, ut solutio perfectior evadat, faciet; sed aliquantum fructus ab effectu ejusdem in concoctione promovenda percipi potest, et vis ejus sudorifica augebitur. Hinc optimi effectus, meo judicio, ab ea sperandi sunt, si rite diluta, et adeo, ut ventriculo non noceat, detur. Nonnulli, ut opium ei adjiciatur, suadent, quo cursus ad superficiem certius fiat; et in exemplis, ubi tinctura simplex, sub forma liquoris, qui *punch* vulgo nominatur, adhibetur, opium ei cum comodo addi posse judico, quod gummi duritiei alvi, quae alioquin ab opio oriretur, obsistet. A nupero Doctore Culleno memoriae proditur, tincturam spirituosam pravos effectus nonnunquam

quam edidisse; neque dubito, quin homines sint, quibus non conveniet. In exemplis hujusmodi, guaicum in aquam, modo sequente, diffudit. Partes gummi saccharique albi aequales in pulverem reduxit, aliquantum vitelli ovi, vel mucilaginis, iis adjecit, et ea simul conterendo emulsionem ex aqua formavit. Hanc nocte superiore tali quantitate dedit, ut alvum solveret, quod, uti aiebat, si a granis 15 ad 30 adhibeantur, plerumque incidet. In usu ejus, in tempus diuturnum, persistit. In hoc praeparato faciendo gummi integro uti conveniet, quoniam in resina diffundenda adjuvabit.

Quod de terebinthinis in genere, sub capite guaici, jam comprehendi, id ea, quae de oleo terebinthinae proferre decreveram, magna ex parte superflua reddit. Oleum terebinthinae autem est stimulans universum, non minus efficax, interne sumptum; ut e calore ventriculi, quem excitat, e transeundo ad renes tam promp-

te et facile, et actionem vasorum extremorum
ubique movendo, evidentissime constat. Insu-
per, nonnihil doloris et caloris in parte laborante
notatur, ob quam rationem medicamentum ope-
rationem loco propriam singularem habere, fuit
existimatum *. Auctoritate quidem virorum
celebrium Cheynaei et Homii confusus, hoc pro
medicamento efficacissimo habere minime dubi-
to, quod, posteriore auspice et duce, id summo
cum commodo adhiberi vidi. Mihi ipsi quoque
idem praescribendi occasio fuit subministrata,
postquam diversa medicamenta incassum fuerant
tentata, et ad guaicum etiam sine fructu fuerat
decursum. Morbum dolentissimum et perquam
inveteratum sustulit, in tempus diuturnum, pro
forma, quam laudat Cheynaëus, adhibitum, et,
quantum dosin spectat, prout systema afficere
videbatur, auctum vel diminutum. Cortex Pe-
ruvianus, in quo amarum et adstringens, cum
aliquanto aromatis, conjunguntur, ob effectus
salutares

* Doctoris Home Praelect. Clin.

salutares quos in morbis ventriculi edit, pro uno ex optimis et efficacissimis remediorum, quae ad fibras musculares ejus organi corroborandas accommodantur, diu fuit habitus. Status autem ventriculi cum reliquo systemate tam arcte conjungitur, et in id universum tam facile diffunditur, ut effectus corticis Peruviani rite adhibiti in partibus remotissimis brevi semet ostendant; quod in ulceribus mali moris perspicuum est, constitutione corporea multum laesa, ubi salutares ejus effectus in universo systemate evidenter apparent, et pus sanationi ulceris amicissimum cito formatur. Hinc ad eum tonum vasis per totum systema debilitatis reddendi, et ventriculum corroborandi consilio, debet confugi. Namque status hujus sanus functioni omnis alius partis idoneae ex toto necessarius est. Si ullo modo perturbatur, frequenter, si non morbum hujuscemodi facit, debilitate et spasmis artuum inferiorum stipatur *. Praete-

rea,

* Gregorii Praelect.

rea, remedium summi momenti hinc esse videtur, quod cachexiae, quae est crebra hujusce morbi sequela, efficaciter non raro occurrit. Multos quidem rheumatismos depulisse dicitur, et a viro illustrissimo nupero Gregorio, una cum sale ammoniaco crudo, adhibitus est. Denique, Joannes Pringelius, eques auratus, curationem hujusce morbi hoc remedio, gummi guaico spirituique v. c. c. adjuncto, finire assidue consuevit.

Quantum ad *mercurium* attinet, cujus effectus in systema tam potentes sunt: “ In its active
“ state, it seems to be a stimulus to every sensible moving fibre of the body, to which it is
“ immediately applied; and, in consequence, it
“ is particularly a stimulus to every excretory
“ of the system, to which it is externally or internally applied. And besides its noted effect
“ upon the excretories of the saliva, it seems to
“ operate upon the whole of those of the alimentary

“mentary canal. It proves often diuretic, and
“I have particular proofs of its acting imme-
“diately upon the organs of perspiration *.”

Cum hanc descriptionem pro justa veraque habeam, mercurium, ut remedium multis in casibus utile, non laudare non possum; quod plurimum, hoc in morbo, fiduciae in dotibus corporum stimulantibus et sudorificis collocandum est. Hoc remedium tanti aestimat vir clarus Fothergillius, ut affirmet, se nullum casum unquam offendisse, qui calomelani exiguis dosibus dato, et, donec os aliquantum exulceraretur, continuato, non parebat.

Cum morbus inveteravit, et ad paralyfin vergit, vel cum haec revera accessit, cicuta, diligenter adhibita, a Doctore Home remedium efficacissimum esse reperta est; et huic mercurio

E

rius

* Vide Cullen's Mat. Med.

rius forsitan cum commodo potest adjungi. Seminis sinapi quoque hic meminisse liceat, quod fummis laudibus fuit elatum, et non parum utile repertum *. Universum systema calefacit, secretiones adauget, et non contusum datum, sumptumque ad quantitatem cochlearis majoris bis de die, stimulo tuto et potenti est, et insuper alvum solutam tenendo prodest. Eundem in modum agit raphanus rusticanus, qui a Culleno laudatus et utilis repertus est. Radix adhibetur, in portiunculas divisa, et sine manducatione devorata, vel e vino infusa. In morbis hujusmodi, rigiditate motuque juncturarum impedito stipatis, oleum jecoris, ut inquit, successu cum prosperrimo adhibuit Percivallius. Si laudes quidem, quas in id confert, mereatur, remedium minime contemnendum est. In usum vero universum nunquam adduci periclitatur, quod medicamentum in primis ingratum est.

Quantum

* Gregorii Praelect. Pract. et Doctoris Home Praelect. Mat. Med.

Quantum *electricitatem* spectat, ea, utpote quae aliis stimulantibus longe antecellat, hic haud dubie conveniet. Partibus quibuscumque singularibus, ubi effectus ejus edi volumus, summa cum facilitate admoveri potest. Cum tantopere in hoc morbo, et quoque in paralyfi, ad quam, cum diu urget, plerumque vergit, proficiat; quin auctores eam laudibus ornarint, vix ambigi potest. Quantopere hic morbus paralyfi finiri periclitetur, ex verbis clarissimi Gregorii sequentibus apparet. “Diuturnus dolor, quamvis vis mitior, saepe partis affectae debilitatem, torporem, paralyfin, et rigiditatem inducit*.” Memoriae proditur a celeberrimo Professore Gregorio patre, electricitatem, ubi in exempla rheumatismi chronici non potuerat, non satis diu fuisse adhibitam; namque, ut inquit, nullos in paralyfi effectus, in unam alteramve hebdomadam, nonnunquam edit, et nihilominus ad
extremum

* Conspect. Med. Theoret.

extremum curationem absolvit. Actio ejus, ut remedi in hoc morbo, neminem latet. Igitur vix necessarium erit aliquid de operatione ejus in medium proferre. Cum applicatur, effectum in circuitum evidentem edit, ictus arteriarum valentiores et celeriores reddit, et idcirco universas excretiones promovet, et tam vehementer systema totum, potissimum vasa sanguifera, afficit, ut, in exemplis amenorrhoeae, menstrua ante provenerint, quam aegrot a machina potuit amoveri. Cum membris, quae torpida sunt, quaeque nullis aliis stimulantibus affici possunt, applicatur, contractiones musculorum violentae moventur, idque in musculis e corpore excisis, et etiam, post mortem, nonnullae contractiones in iisdem notantur. Quantum ad modum eam adhibendi spectat, ut succussus admodum lenes et modici sint, vel ut scintillae e parte eliciantur, conveniet, et ut hae, in tempus diuturnum, continuentur opus erit. Hoc praestat, quam ad succussiones violentiores decurrere.

Fricatio

Fricatio quoque, quacunque forma adhibeatur, naturae hujusce morbi plurimum accommodatur. Tonum adauget, elaterem fibris motoricibus comparat, motum sanguinis in vasis extremis intendit, et tensionem iis conciliat, et, ut Gregorius pater notavit, non tantum in vasa extrema, sed etiam in profundius sita agit, et systema nervosum ipsum quoque, aliqua ex parte, afficere potest. Igitur, si diligenter una cum electricitate adhibeatur, successus prosperrimus expectandus est. Eam forma sicca, per verriculum pannumve laneum calidum, applicare conveniet. “Frictione,” ut Celsus inquit, “quoque utendum est, maxime in sole *.”

Balneum frigidum quoque, cum totum systema stimulet et corroboret, tonum illi impertiens, praesertim vasis sanguiferis, dolores aliquando levare potest; si non gradu intensiore adhibeatur,

* Cap. xxii.

tur, nimisque diu in usu ejus perstetur, ei aeger, panno laneo involutus, potionibusque calidis recreatus, ita administretur, ut sudor moveatur, et effectus frigoris in systema evidentes praecaveantur. Frigus vero incaute corpori admotum, et infra eidem proprium et naturale non parum descendens, in constitutione per morbum debilitata, ubi nullus caloris praeter naturam auctus est, haud dubie frequenter nocebit.

Hoc operatione sua aliquantum refert, quam forsitan efficacior est, aqua frigida parti laboranti affusa, vel, uti appellatur, *lavatio frigida*. Haud dubie, ob hanc rationem, illi praeponenda est, quod parti ipsi affectae recta admo-
veri potest, et periculo vacat. Praeterea, magis probabile est, eam, propter succussum, qui parti inferetur, vim stimulantem esse habituram, si aqua ab altitudine non modica decidere permittatur. Insuper, si partes postea panno laneo involvantur, sudor excitari potest, qui hic tam difficulter

ficulter movetur; unde status spasmodicus forsitan tollitur, et debitus sanguinis circuitus parti restituetur.

Balneum calidum silentio non praetereundum est, quod a medicis plurimis laudatur. Solida simplicia relaxat, fibras motrices excitat, et momentum sanguinis intendit. Cum auxilio antliae exiguae, ut moris est Bathoniae, applicatur, contra hunc morbum non parum efficax est. Non parum quoque fructus a vapore calido membris adfectis applicato perceptum est. Et plus forsitan beneficii ab operatione ejus, ut stimulantis et antispasmodici, simplice sperandum est, quam ab ullo effectu, quem planta aromatica, ut thymo, imbutus edere potest, acquisito, quemque laudibus insignibus Swietenius effert. Caeterum, quo aegroto persuadeatur medicamentum simplex, quale hoc est, constanter adhibere, nonnunquam necessarium est id, cum aliquanto

aliquanto apparatus medicinalis speciosi, exhibere.

Caustica vera aequae, ac *potentialia*, hoc in morbo, ab antiquioribus multum fuerunt adhibita; et haud dubie aliquando prodesse possunt, ob stimulum parti illatum, vel humoris profusionem, quae usum eorum subsequitur. Mihi met vero persuasum habeo, multum fiduciae in illis raro esse collocandum. Casus est, de quo Tissotius meminit, ubi ulcus per spiritus arden-tes in membro fricando adhibitos flammam concipientes formatum est, et curatio absoluta est.

Ad epispastica quoque iisdem consiliis fuit decursus. Propter potestates stimulantibus et antispasmodicas valentissimas plus auxilii promittunt. Quin rubefacientia hoc in morbo successum prosperum habeant, non dubito. Linimenta, qualia sunt linimentum volatile anodynum, aether, tinctura cantharidum, &c. sunt remedia

media admodum utilia. Quinetiam linimenta magis simplicia, diligenter cum frictione adhibita, non parum reperientur prodesse, si cura, ut partes laborantes panno laneo constanter tegantur, agetur. Denique, indusio laneo, ab initio curationis usque, uti, si non admodum aegrotto fuerit ingratum, remedium non parvae utilitatis esse reperietur, et nunquam forsitan neglectui haberi debet.

Hac dissertatione nunc ad finem perducta, tantum restat, ut memet animum beneficiorum minime immemorem habere ostendam, et hanc occasionem publicam, quae nunc sese mihi offert, grates viro ingenioso et reverendo Nathanieli Shaw apud Banbridge, qui olim praeceptoris fidelis et diligentissimi officio functus est, sinceras persolvendi arripiam, cujus amicitiam constanter expertus sum, quemque pro honestissimo optimoque mortalium nunquam non habebo.

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN

THE RHODAN



